Quae

Aeschylus, Sophocles, Euripides,

in arte sua secuti sint et novaverint.

Commentatio philologica,

quam

ad summos in philosophia honores

legitime impetrandos

amplissimo philosophorum ordini

in alma universitate Rostochiensi

obtulit

Henricus Geller,

Borusso-Rhenanus.

Pars prior.

Marcoduri,

Typis Hamelianis.

CIƆIƆCCCLXXIII

De tragœdiæ primordiis.

Tragoedia e dithyrambo enata.

Ut in omni re perfecta omnibusque numeris absoluta et quam originem habuerit et quomodo progressa atque exculta sit cognoscere studemus, quo melius de rei ipsius pretio possimus existimare: ita operæ pretium facturum me esse opinor, si, priusquam ostendam, qua via et quibus quasi gradibus tragœdia Græca ad summam illam perfectionem pervenerit, pauca de incunabulis miræ huius artis præmittam.

Tragœdia igitur apud Græcos tum demum inventa est et in usum recepta, cum cetera poesis genera iam florebant et partim deflorescebant. Enata autem est e dithyrambo, lyrico carmine cuius inventor Arion fuit [circa a. a. Chr. 624], si Herodoto (I, 23) fidem tribuimus. Sed fortasse Arion non inventor, sed is erat qui primum hoc genus ad artis regulas revocavit. Canebatur autem dithyrambus vel potius agebatur per chorum, qui circa Bacchi aram saltando gyrum efficiebat, unde *χορός κύκλιος* nominabatur.

Dithyrambo enim iam ab Arione actionem quandam adiunctam fuisse ex hoce Suidæ loco cognoscimus: *Λέγεται καὶ τραγικοῦ τρόπου εὑρετὴς γενέσθαι, καὶ πρῶτος χορὸν στῆσαι, καὶ διθύραμβον ᾆσαι καί ὀνομάσαι τὸ ᾀδόμενον ὑπὸ τοῦ χοροῦ καί σατύρους εἰσενεγκεῖν ἔμμετρα λέγοντας.**)

Quo loco id quoque effici potest, radices dramatis satyrici ad idem fere cum tragœdia tempus eandemque originem esse revocandam.

---

*) Rem confirmare videntur Herodoti verba (l. l.) *διθύραμβον διδάσκοντα* h. e. dithyrambum in fabulæ modum docentem.

Sed illi chori, initio ad Bacchi laudes celebrandas instituti paullo post etiam ad homines insignes laudibus extollendos convertebantur, qua de re testimonium affert Herodotus (V, 67, fin.): *τά τε ἄλλα οἱ Σικυώνιοι ἐτίμων τὸν Ἄδρηστον, καὶ δὴ πρὸς τὰ πάθεα αὐτοῦ τραγικοῖσι χοροῖσι ἐγέραιρον, τὸν μὲν Διόνυσον οὐ τιμέοντες, τὸν δὲ Ἄδρηστον. Κλεισθένης, δὲ χοροὺς μὲν τῷ Διονύσῳ ἀπέδωκε, τὴν δὲ ἄλλην θυσίην τῷ Μελανίππῳ ταῦτα μὲν ἐς Ἄδρηστόν οἱ πεποίητο.* —

Ex his igitur choris tragœdia extitit eo quod melico illi dithyrambo pars quaedam epica interponebatur, qui *λόγος* vocabatur et ad inlustrandas cum aliorum deorum tum Bacchi res gestas compositus erat.

De Thespidis Phrynichi aliorum in promovendam tragoediam meritis.

Sed hi ludi agrestes — nam tragœdiarum nomine vix digu videntur — per Thespin demum rure in urbem Atheniensium deducti esse perhibentur.

Quamquam C. Odofr. Müller aliter censet, tragœdias iam initio urbanas fuisse arbitratus.

Thespis autem de tragicae artis primordiis bene meritus est præcipue hac re, quod chori cantus cum epico carmine ita coniunxit, ut inter chorum et carminis recitationem alterna quædam ratio intercederet, utque chorentæ et is qui epicum carmen recitabat invicem se exciperent. Unde actorem apud Græcos nomen accepisse suspicantur. Nam *ὑποκρίνεσθαι* antiquissima Græcorum lingua idem significavit atque *ἀποκρίνεσθαι*, qua de re conferri potest Eustath. ad. Il. *η*, 704.*)

Tradit autem Diogenes Lærtius (III, 56) *ὑποκριτὴν* a Thespide inventum esse. Sed is *ὑποκριτής* primum ad actionem transiisse videtur a narratione, in qua *ἐξάρχων* ille, in cuius vices hic

*) De voce *ὑποκρίνεσθαι* eiusque derivatis sagacissime disputavit G. Curtius in Mus. Rhen. XXIII, 2, Sommerbrodtii opinioni adversatus. Accessit nuperrime Heimsœthii diss ertatio indici scholarum hac ipsa hieme in universitate Bonnensi habendarum præfixa.

succedebat, sese continuerat. Alia Thespidis merita commemoraverat Aristoteles; legimus enim apud Themistium (XXVI p. 136): *Καὶ οὐ προσέχομεν Ἀριστοτέλει, ὅτι τὸ μὲν πρῶτον ὁ χορὸς εἰσιὼν ᾖδεν εἰς τοὺς θεούς, Θέσπις δὲ πρόλογον καὶ ῥῆσιν ἐξεῦρεν.* —

Thespideum tragœdiæ genus amplificatum et expolitum est a Phrynicho. Is ad maiorem gravitatem traduxit tragœdiam omnemque scurrilitatem ab ea videtur removisse. Cuius rei auctor est Plutarchus (quest. conviv.): *Ὥσπερ οὖν Φρυνίχου καὶ Αἰσχύλου τὴν τραγῳδίαν εἰς μύθους καὶ πάθη προαγόντων, ἐλέχθη· τί ταῦτα πρὸς τὸν Διόνυσον;* — Eodem referendus est personarum usus ab eo institutus una cum novo fabulæ metro, trochaico tetrametro. Hoc enim a Suida (s. v. *Φρύνιχος*) memoriæ proditum est: *Πρόσωπον εἰσήγαγεν ἐν τῇ σκηνῇ καὶ εὑρετὴς τοῦ τετραμέτρου ἐγένετο.* Quamquam personarum inventio ab aliis Thespidi tribuitur.

Tum Phrynichus in fabula quæ *Ἅλωσις Μιλήτου* inscribebatur artem suam primus ad tractanda reipublicæ tempora recentiora describendumque patriæ præsentem statum convertit. Quæ res haud prospere ei cessit; mille enim drachmis multatus est ob nimis vividos, ut ita dicam, picturæ colores. Cf. Herod. VI, 21. Sed in Phœnissis victorias ab Atheniensibus de Persis reportatas celebravit tam egregie, ut Aeschylus in Persas suas multa ex hac tragœdia contulisse diceretur.

Chœrilum, Pratinam, Carcinum, de quibus perpauca cognita habemus, prætermitto. Id tantum hoc loco videtur addendum, per Pratinam satyricum quod vocatur drama ad maiorem perfectionem provectum esse. Hoc enim genus, cum initio minus arcto nexu cum tragœdia coniunctum esset, deinde certis legibus ad eam se applicavit.

De tragœdiæ ætate adulta.

Excepta est tragœdia tenuibus, ut demonstravimus, initiis orta, sed tum iam exculta et amplificata artisque nomine dignior a triumviris illis rei scænicæ principibus, Aeschylo Sophocle Euripide. Hi vero, quamvis parvis temporis spatiis distantes,

indole, argumentorum tractatione et colore fabulis inducto valde discrepant. Fieri enim non potuit, quin unusquisque eorum, quoniam vivebant temporibus commutationum plenis, eius potissimum temporis cuius erat æqualis et quasi alumnus speciem naturamque præ se ferret.

De Aeschylo.

Quibus temporibus ad tragoediam accesserit.

Aeschylus igitur, ut ab antiquissimo ordiamur, ea vidit tempora, quibus Græci parva manu fortissime contra Persarum ingentes exercitus pugnabant, cum, communi omnium libertate in discrimen vocata, pro aris focisque certamen suscepissent. Quin etiam ipse pugnis illis gravissimis interfuit summa cum laude virtutis, earumque laudator ac præco extitit eloquentissimus. Nam res præclare gestas egregie persecutus est cum aliis locis tum hisce verbis (Pers. 4402 sqq.):

ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε,
Ἐλευθεροῦτε πατρίδ' ἐλευθεροῦτε δὲ
Παῖδας, γυναῖκας, θεῶν τε πατρῴων ἕδη,
Θήκας τε προγόνων νῦν ὑπὲρ πάντων ἀγών.

Omnino bellicum illius temporis ingenium cum ceteræ, quotquot adhuc extant Aeschyli tragœdiæ, tum Persæ et Septem Duces fere ubique redolent ac produnt. Hinc ille patriæ amor, hinc sententiarum sublimitas orationisque spiritus, hinc denique gravitas severitasque poetae plane admirabilis.

De apparatu scaenico per Aeschylum addito.

Tragoediae autem ut talibus verbis et sententiis totus habitus esset dignus, scaenicum quoque quem vocant apparatum addidit magnificum. Qua de re testimonia maxime commemorabilia inveniuntur in vita Aeschyli ap. Robort., apud Suidam s. v. *Αἰσχ.* apud Athenaeum I, p. 21 D et apud Horatium A. P. 278 sqq. Quibus locis docemur, histriones Aeschylum, quo apparerent

altiores corporisque magnitudine insigniores, cothurno iussisse incedere personisque uti totum caput involventibus ac turrito capillamento instructis, tum induere laxum lautumque vestitum usque ad talos demissum (*ξυστίδας, σύρματα*), ita ut amictum flaminis Eleusinii imitarentur, denique ab eodem scaenam picturis ornatam esse*) et sepulcra, spectra, alas multaque alia adhibita esse, quibus magnificentia splendorque oculis auribusque praeberetur.**)

De adiuncto altero actore.

Alia Aeschyli in tragoediam merita maioris etiam momenti commemorantur ab Aristole poet. c. 4, 16: *καὶ πολλὰς μεταβολὰς μεταβαλοῦσα ἡ τραγῳδία ἐπαύσατο, ἐπεὶ ἔσχε τὴν αὑτῆς φύσιν· καὶ τό τε ὑποκριτῶν πλῆθος ἐξ ἑνὸς εἰς δύο πρῶτος Αἰσχύλος ἤγαγε, καὶ τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε, καὶ τὸν λόγον πρωταγωνιστὴν παρεσκεύασεν.* Aeschylus igitur alterum adiungens histrionem *λόγον* in *διάλογον* convertit, quo factum est, ut actio — hac in re Hermannum potissimum sequor ***) — cuius usque ad illud tempus primariam partem chorus egerat, ab hoc seiungeretur ita, ut primae partes a chori duce sive coryphaeo ad actores transferrentur.

Sed nihilo setius in antiquioribus Aeschyli fabulis lyrica, carmina dimidiam fere partem occupant, altera tantum parte actoribus permissa, quod adhuc in Persis, in Septem Ducibus, in Supplicibus animadverti potest. Fabulae autem, quas Aeschylus posteriore tempore edidit, velut Agamemno, Eumenides, Prometheus, modo tertiam fere partem choricis carminibus concedunt, dum Choephori mediam rationem inter antiquum morem et conformationem recentiorem obtinent.

Quare illa Aristotelis laudatio caute videtur accipienda esse; quin etiam chorum primarias agentem partes ipsiusque actionis

---

*) Vitruv. praef. l. VII. Aristoteles sane (poet. 4, 16) Sophoclem primum eam picturam instituisse auctor est.

**) Cf. G. Hermann, de re scenica in Aeschyli Orestea, 1846 et J. Sommerbrodt, de Aeschyli re scenica, 1848—1858 (tria progr.).

***) De distributione personarum inter histriones in tragg. Gr. (Marb. 1840) p. 15 sq., ubi sententiam Welckeri (Tragodum. I, 70) et inlustrare et emendare studet.

participem nonnunquam invenimus, uti in Supplicibus, in quarum censum Eumenides quoque paene veniunt.

Itaque in Aeschyli tragoediis minime observare possumus arctissimam illam eandemque plane nativam chori cum ipsa fabula coniunctionem et concinnitatem, quae veterum quadam lege praescribitur et cuius Sophoclis tragoediae insignia sunt exempla. Sed operam tamen navasse Aeschylus videtur in eis fabulis, quas sub finem vitae scripsit, ut chorus arcta illa necessitate cum ipsa actione coniunctus appareret neve agendae rei societatem iniret. Laude quidem digna est hoc nomine fabula Promethea.

Quot choreutas Aeschylus adhibuerit.

Choreutarum numerum in singulis tragœdiis diversum adhibuit. Chorus enim dithyrambicus constiterat quindecim cantoribus, qui numerus usque ad Aeschyli tempora videtur permansisse. Tum vero nimia illa frequentia ad duodecim choreutarum numerum deminuta est, sive hoc Aeschylus, sive alius primum instituit. His duodecim Sophocles tres rursus adiecit, quod Suidas (s. v. *Σοφοκλῆς*) memoriæ mandavit: *καὶ πρῶτος τὸν χορὸν ἐξ ιε' εἰσήγαγε νέων πρότερον ιβ' εἰσιόντων.*

Quod Sophoclis institutum Aeschylus probavit et statim, ut videtur, amplexus est. Ita in Agamemnone auctus iam numerus apparere satis probabiliter censetur. Hoc enim facere vix possumus quin Bœckhium secuti et Hermannum *) concludamus cum ex numero versuum ac distributione, quae v. 1308 sqq. conspicua fit, tum ex hoc testimonio a scholiasta ad Aristoph. eq. 586 adlato: *ὁ δὲ τραγικὸς (χορὸς) ιε, ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.*

Secus sane censuit Odofredus Müller (ad Eumen. p. 76 sq.), qui Aeschylum in Agamemnone duodecim, in Eumenidibus quindecim choreutas adhibuisse statuebat. Sed aucto numero semel recepto poetæ dubito an coacti fuerint eum adhibere, neque iam concesserint magistratus chorum duodecim choreutis compositum. Quae si recte disputata sunt, singulis fabulis trilogiae vinculo comprehensis idem semper numerus erit assignandus. Adde quod

*) Herm. opusc. VI. 2, p. 136. et in editione Agam. ad v. 1308 sqq.

in Eumenidibus quoque chorum quindecim fuisse personarum haud dubiis verbis scholiastae ad v. 587 affirmatur.

Etiam difficilior extitit quaestio de numero choreutarum in Septem Ducibus prodeuntium et v. 77 sqq. singillatim (κομματικῶς) lamentantium. Cum enim Hermannus (El. D. M. 751) et plurimi alium quaestionum arbitri*) quindecim hic choreutas prodiisse iudicent, Bergkius (comment. vit. Soph. XXVI) duodecim tantum admittit, nulla sane alia causa prolata, quam quod tum haec tragoedia scripta sit, cum Sophocles, qui primus auxerit numerum choreutarum, vix ad artem tragicam accesserit.

De forma trilogica et tetralogica.

De trilogia Aeschylea et tetralogia, cuius iam supra feci mentionem, cum iam diu inter viros doctos fuerit controversia, nunc videtur constare tres illas tragoedias, quae trilogiae nomine comprehendebantur, plerumque una actionis perpetuitate coniunctas et quasi partes vel actus unius carminis tragici maioris finibusque circumscripti latioribus fuisse apud Aeschylum; sed cum tribus deinceps tragoediis spectatis necesse esset animos quodammodo deprimi et illarum σεμνότητι casibusque flebilibus ad tristiores perduci affectus, illis tragoediis drama satyricum adiungi coeptum est, quippe quo spectatores relaxare sese ac remittere et hilaritati restitui possent. De quo dramaticae poesis genere bene censet Prellerus (Griech. Mythol. I. p. 571 sq. 2. Aufl.):

'So entstand in Attika das Satyrdrama, eine Art von Compromisz zwischen der ernsten und feierlichen Tragoedie und der durchtrieben volksthümlichen Lustbarkeit der Satyrmaske, deren Hauptreiz in der natürlichen Parodie bestand, welcher die Vorgänge aus der epischen und mythologischen Götter- und Heroenwelt durch die ländliche und immer läppische und neckische Umgebung der Satyrn, die den stehenden Chor bildeten, unterworfen wurden u. s. w.'

Ab illa forma ampla et magnifica, quae ad ipsum potissimum revocatur, Aeschylus non videtur recessisse, quamquam de fabulis eius tragicis pauca tantum nobis relata sunt quae pro certo affirmare

---

*) Cf. Leutsch, Grundr. z. Metr. § 212.

possimus. Sed de tragoediarum tripartita compositione res satis explorata est. Nam et una Aeschyli trilogia, quae Agamemnone Choephoris Eumenidibus continetur, ad nostram pervenit aetatem, et in aliis quae adhuc extant tragoediis certa huius rei indicia reperiuntur. Exemplum affero de Septem Ducibus desumptum. Hac in tragoedia chorus (inde a v. 719) enumerat tristia gentis Labdacidarum fata; commemorat enim primum Laii culpam, deinde Oedipodis crimen et calamitatem,

ὅστε ματρὸς ἁγνὰν
Σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη
Ῥίζαν αἱματόεσσαν
Ἔτλα. (v. 753—756).

Denique de recentibus gentis calamitatibus lamentatur. Quem locum si quis diligenter perspexerit, non dubitabit, opinor, quin trilogiam invenerit Laium, Oedipodem et Septem Duces comprehendentem.

Neque aliter se res habet in ceteris argumentis quae ab Aeschylo tractata esse constat. Quare facere non possumus quin Odofredo Müller accedamus ita de hac quaestione (in 'des Aeschylus Eumeniden' p. 198) disserenti:

‚Wir haben nur von folgenden Trilogien des Dichters bestimmte Nachrichten: 1) Oresteia, deren innere Einheit am Tage liegt, 2) Lykurgeia (Edonen, Bassariden, Jünglinge), wo dieselbe unleugbar ist, da ein so unbestimmter Titel nicht gebraucht werden könnte, (nämlich ‚Jünglinge'), um einen neuen und eigenen Mythenkreis zu bezeichnen, 3) Phineus, Perser, Glaukos Pontios, deren von Welcker nachgewiesener Zusammenhang schon jetzt immer mehr erkannt wird, namentlich dass die Perser den Phineus forderten. Wer nun die ganze Probabilität, die aus Uebereinstimmung dreier Beispiele für das Verfahren des Aeschylus im Ganzen hervorgeht, nicht entscheiden lassen will, muss sie mit sehr stringenten Beweisen des Gegentheils, das heisst Aeschyleischer Stücke, die nicht jener Dreiheit sich einfügen, nicht trilogisch sein konnten, entkräften. Sonst fordert die Methode historischer Untersuchung von uns 'mit der trilogischen Grundform alle Nachrichten von Stücken des Aeschylus in Verbindung zu bringen.'

De fati apud Aeschylum notione.

Ita singula argumenta per tres deinceps tragoedias continuabantur, ut quam maxime eluceret regens hominum fortunam providentia, ut rerum bene aut male actarum praemia poenaeve conspicerentur, denique, quod maximi videtur momenti, ut cerneretur fati omnia moderantis potentia et per plures hominum aetates vigens vindicta.

Sed consentaneum rei propositae videtur accuratius exponere fati singularem apud Aeschylum rationem, in qua describenda a contemplatione Septem Ducum et Agamemnonis exempla petemus.

Abhorret igitur id quidem a veri similitudine, numen quoddam caecum, penes quod omnium rerum arbitrium sit, in vetere Graecorum tragoedia valere, ita ut hominum in agendo libertas omnino tollatur; sed tamen nusquam humanam vitam ab omni in agendo necessitate liberam deprehendimus.

Aeschylus quidem fatum statuit acerbum; numen autem eius minime est caecum nec temere noxios innoxios invadit. Ad posteros quoque propagatur culpa sceleribus contracta, sed ἄτη tunc demum hominis scelesti filium vel nepotem corripit, cum is culpae hereditate acceptae suam ipse αἰτίαν addidit. Hanc vero postquam adiecit, infelicem necesse est non modo sua luere crimina, sed etiam flagitia a maioribus commissa.

Ita in Septem Ducibus ἄτη eo demum tempore in Eteoclem inruit, quo propriam culpam admisit. Cf. V. 653—676. Tum sane flagrantem fati cernimus dominationem et daemonis domui Labdacidarum infesti, qui potestate sibi iam concessa nunc utitur severissime.

Pelopidarum quoque generi atque aedibus Furias inde ab Atrei scelere invenimus adhaerentes, ut culpam et delicta ex ea enata longinqua persequantur vindicta. Quare in tragoedia Agamemnone fati potentiam in utroque coniuge ita videmus valere, ut animus Clytemnestrae ad saevitiam, Agamemnonis ad impietatem contrahendam commoveatur, quamquam minime nec Clytemnestra ab omni humanitate est aliena, nec Agamemnonem deficit religio.

Eam rerum divinarum condicionem chorus semper in ore habet, dum tristi quadam expectatione ea quae in familia regia

geruntur observat. et in pietate ab Agamemnone laesa, in discordia domestica, denique in omnibus generis calamitatibus seram cernit daemonum vindictam; *τῶν πολυκτόνων γὰρ οὐκ ἄσκοποι θεοί*, (V. 440).

Cf. Klausen. theologumena Aeschyli p. 157 sqq. et summarium Agamemnonis editioni praemissum.

Quibus ex fontibus argumenta tragica hausta sint.

Non longe aberrare mihi videor, si paucis exponam quibus ex fontibus Graecorum poetae scaenici eventus illos fatali necessitate constrictos atrocesque humanarum virium cum fortuna dimicationes hauserint.

Satis igitur constat initio largam rerum tractandarum segetem praebuisse *τὰ πάθη τοῦ Βάκχου*. Sed in his tragoedia haudquaquam se continuit, sed postea tragici, quoniam quaecunque de deis, heroibus rebusque antiquitus gestis tradebantur ab Homero ceterisque poetis epicis, qui cyclicorum nomine comprehenduntur, in carminum usum conversa erant, non dubitaverunt materiam iam conlectam, digestam exornatam ab eis desumere.

In deliciis maxime fuit ipse Homerus, cuius tota narratio colorem quendam vere tragicum refert, quamobrem a Platone (de rep. I, 10. 595 C, 598 D, 609 A) *τραγικώτατος* appellatur. Qua de indole Homeri singulari Gruppius in libro quem inscripsit Ariadne (p. 275 sqq.) copiose et sagaciter disseruit. Quid, quod Diogenes Laertius (in vita Polem. IV. 3, 7 ed. Cob.) propter ingenii similitudinem Homerum vocat *ἐπικὸν Σοφοκλέα* et invicem Sophoclem *Ὅμηρον τραγικόν*? Hic potissimum Homeri studiosissimus vel, ut ait Eustathius (ad Hom. p. 514, 45; 1083, 17), *ζηλωτὴς Ὁμήρου* fuit. Itaque plurima argumenta e fabulis Troianis mutuatus est.*) Similis est Aeschyleorum quoque argumentorum condicio. Quin etiam in Euripide, qui a veterum fabularum memoria longissime videtur distare, a scholiastis *ζῆλος Ὁμηρικός* observatur.

---

*) Sophoclem e fabulis Troianis fere quadraginta, e Thebanis sex, ex *Οἰχαλίας ἁλώσει* unum petiisse argumentum, Welckeri et aliorum commentationibus demonstratum est. Recte igitur Athenaeus (VII, 3, 277, F.): *Ἔχαιρε δ᾽ ὁ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιίᾳ.*

Sed ne in hac quidem tam larga poetarum cyclicorum materia tragici acquieverunt. Ut enim de Phrynichi tragoedia quae Μιλήτου ἁλώσις inscripta erat et de Aeschyli Persis hoc loco taceam, aliunde petitae sunt eae Sophoclis Euripidisque tragoediae, quarum argumenta sunt fabulae de Aegeo, Theseo, Phaedra, Tereo, Triptolemo latae·

Multum tamen abest, quin p oet aetragici eis auctoribus, quibus argumenta debebant, in servitutem quasi se addixerint. Saepissime enim ab eorum narrationibus pro suae artis finibus ac ratione discedentes tradita ad rem tractandam accommodabant.

De Aeschyli in mythis conformandis simplicitate ac gravitate.

Ceterum, ut ad Aeschylum redeamus, simplicissima est mythorum in eius tragoediis conformatio ac tractatio. Prodigiosas fortunae commutationes rerumque vicissitudines perplexas ac discriminibus tantum conspicuas evitat. Magis enim praeditus erat nativa quadam gravitate ac sublimitate, quam qui talia antiquitatis memoria digna et ad res gestas describendas apta putaret. Argutias quoque omnes et dicendi artes eadem de causa repudiavit.

Illa autem, quam laudavi, gravitas duobus praecipue locis iam a veteribus conspecta est. Niobe in deperdita quadam fabula usque ad tertium actum liberorum tumulo insidebat taciturna et rica caput velata. Alterum exemplum hoc est. Achilles ἐν τοῖς Ἕκτορος λύτροις pariter manet taciturnus per magnam tragoediae partem. Sed luculentissime etiam nunc cernitur illa gravitas Aeschylea in Cassandrae moribus ac vocibus.

Tales autem loci quod iusto frequentius occurrant in Aeschylo, vituperatur ac deridetur ab Euripide Aristophaneo (Ran. 911 sqq.)

Illam igitur grandis ingenii sublimitatem per simplicissimam argumentorum compositionem (οἰκονομίαν) perfusam cernimus. Culpa aliqua commissa et legibus divinis per insolentiam vel temeritatem violatis poena, ut supra ostendimus, solvenda est. Trilogica vero forma coactus capita tantum et lineamenta rerum, quibus totus trium fabularum complexus absolvitur, proponere solet, multa spectantium cogitationi ac iudicio relinquens. Ita in Persis simplicissima ratione et paucis tantum personis adhibitis efficit, ut

imaginem adumbrata quasi descriptione expressam cladis illius funestissimae conspiciamus, qua Xerxes et Persae superbiam suam luebant et exultantem ferocitatem.

De personarum apud Aeschylum ingenio ac moribus.

Quod autem Aeschyli ars in eo potissimum versatur, ut heroes, Titanes, Eumenides aliaeque personae vehementissimi ingenii vel divinae vel humanae in scaenam producantur contra summa numina vel contra fatum pugnantes, huius rei causa posita est in ratione illius aetatis, quae tantarum pugnarum aspectu penitus commovebatur.

Neque vero sui temporis heroes inducere solebat, sed maluit Homericos. Quem morem ne in Persis quidem plane omisit. Homerum omnino sibi obversari in talibus descriptionibus profitetur in Aristoph. Ran. v. 1304 sqq.:

ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος
Ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν
Πλὴν τοῦδ' ὅτι χρήστ' ἐδίδαξε,
Τάξεις, ἀρετάς, ὁπλίσεις ἀνδρῶν.*)

Quod imprimis elucet e contemplatione fabulae Thebanae saepe iam a nobis ad partes vocatae. Is enim hac fabula concipitur vigor bellicus et paene furor, ut apud Aristophanem (Ran. 621 sqq.) poeta suo iure glorietur hoc drama se fecisse Ἄρεως μεστόν. In ea heroes Argivi, qui ῥήσεσι quae vocantur septem illis egregie describuntur, magis accedunt ad Titanum immanium naturam quam ad hominum indolem. Omnium autem praestantissime Eteoclis ingenium depingitur spirans quasi bellum et propugnandi pro patria studio plane abreptum.

Atque in omnibus Aeschyli tragoediis simili audacia ac vehementia primarias personas videmus incedere.
Iterum laudare mihi liceat Cassandram divino instinctu afflatam, quae furibunda quadam cum divinatione futura auguratur:

Ἄπολλον, Ἄπολλον,
Ἀγυιᾶτ' ἀπόλλων ἐμός.
Ἆ ποῖ ποτ' ἤγαγές με; πρὸς ποίαν στέγην;

(v. 1044 sqq.)

*) Cf. M. Lechner, de Aeschili studio Homerico. Berol. 1862.

Denique memineris velim Promethei contra Jovem pugnantis et Eumenidum chori illius formidolosi, quæ se invicem instigant atque excitant verbis notissimis

Ἔγειρ', ἔγειρε κτέ. (v. 140 sqq.)

De Aeschyli elocutione.

Dictione usus est Aeschylus tanta gravitate et sublimitate talibusque sententiis perquam digna.

Tam egregie, ut statim exemplum afferam, ad bellicosum Eteoclis ingenium poeta applicavit orationem, ut ipsum armorum strepitum audire et pugnantes conspicere legentes nobis videamur. Quid enim his versibus vividius:

Ἀλλ' ἔς τ' ἐπάλξεις καὶ πύλας πυργωμάτων
Ὁρμᾶσθε πάντες, σοῦσθε σὺν παντευχίᾳ,
Πληροῦτε θωρακεῖα, κἀπὶ σέλμασι
Πύργων στάθητε κτέ. (Sept. v. 30 sqq.)

Et quam mirifice loco iam citato Cassandrae oratione quasi abrupta eademque maiestatis plenissima furor divinus futura augurans exprimitur!

Sed in vitia quoque Aeschylum, furore fere Bacchico correptum saepenumero incidisse, non semper eum evitasse tumorem nimiumque verborum cumulum *συνωνύμων*, non admirabimur, si reputaverimus, quam difficulter declinetur in tali studio exaggeratio. Quod vitium iam ab Aristophane tangitur (Ran. v. 1057 sqq.):

Ἥκω γὰρ ἐς γῆν, φησί, καὶ κατέρχομαι
Ἥκω δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ κατέρχομαι.

Eodem vitio teneri videntur hi loci: Choeph. v. 3, Eumen. v. 1023, Sept. v. 36.

Tum Aeschylus sibi placuit in novis verbis inveniendis*) et veteribus audacius componendis, qualia sunt *ὑψίκρημνος* (Prometh. 421) *ἱπποβάμων* (Prometh. 805) Cf. Aristoph. Ran. 821. Quare ipse a comico *ὑψιβρεμέτης* nominatus est, ut qui auditorum aures quasi concuteret. Idem eum vocat ob exuberantem passim talium vocum tumorem *ψόφου πλέων, ἀξύστατον, στόμφακα κρημνοποιόν.*

*) B. Todt, de Aeschylo vocabulorum inventore. Hal. 1855.

Neque vero deerant, qui generatim illam Aeschyleae tragoediae sublimitatem et gravitatem in verbis sententiisque conspicuam improbarent, in quorum numero Quintilianum invenimus (Inst. or. x, 1,66):

'Tragoedias, inquit, in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium, sed rudis in plerisque et incompositus.'

Reprehenditur vero hoc loco et granditas minus temperata verbisque sonantibus involuta, et genus dicendi spissum atque austerum, quod in Aeschylo observabatur et posteriori tempore minus placebat.

Et ne cum aequalibus quidem satis bene Aeschylo convenisse, imo minus probatum eum suis civibus fuisse cum aliunde, tum ex Ranarum v. 808 cognoscimus: *οὔτε γὰρ Ἀθηναίοισι Συνέβαιν' Αἰσχύλος.*

Quid, quod victoria exacerbatus a Sophocle reportata, cuius palmam sibi ipsi deberi credidisset, patriam reliquisse perhibetur. Plutarch. vit. Cim. 8.

Quantum Aeschylus patriae tribuerit deorumque cultui.

Neque tamen Aeschylus unquam patriam amare desiit, sed quo animo apud Salamina pro libertate fortissime pugnaverat, eodem in fabulis suis pro priscis Solonis institutis atque pro tota reipublicae salute dimicavit.

Ita in Eumenidibus, ut exemplum addamus, Areopagum et simul Atheniensium civitatem summis effert laudibus. Sed audiamus de hac re A. G. Schlegelium (Dramat. Vorl. V p. 103 ed. Boeck.):

'Aeschylus hatte aber auch politische Zwecke. Zunächst die Verherrlichung Athens. Delphi war der religiöse Mittelpunkt Griechenlands, und doch, wie tritt es in den Schatten zurück! Nur gegen den ersten Andrang der Verfolgung kann es den Orest schützen, ihn nicht vollständig frei machen; dies ist dem Lande der Gesetzmässigkeit und Menschlichkeit vorbehalten. Er wollte ferner, und dies war die Hauptsache, als zum Heil Athens wesentlich den Areopag empfehlen, einen unbestechlichen, jedoch

milden Gerichtshof, bei dem besonders das weisse dem Verklagten günstige Steinchen der Pallas eine Erfindung ist, welche der Menschlichkeit der Athener alle Ehre macht.'

Quam fidelis autem poeta erat patriae amator quamque domesticarum institutionum mirator observantissimus, tam diligentem se praestitit deorum cultorem.

Constabat enim apud eum res divinas hnmanasque iuste ac sapienter gubernari a Jove, deorum summo et potentissimo, ita ut eius voluntas semper congrueret cum fato.

Cui opinioni contrariam rationem, quam in Prometheo vincto, Aeschylus videtur secutus esse, si quis nostrae de poeta religiosissimo sententiae opponat, is velim meminerit illa fabula in remotissima nos tempora traduci, quibus Juppiter in throno suo, ut ita dicam, firmam tutamque sedem nondum tenere existimetur. Sed potestate firmata in tutoque collocata iuste et sapienter mundum eum regere Aeschylus statuebat, neque quidquam divinitus evenire nisi quod iustum esset.

Eam autem fuisse Aeschyli opinionem cum sexcentis locis possimus demonstrare, paucos delibasse sufficiet

Ζῆνα........................
ὃς πολιῷ νόμῳ αἶσαν ὀρθοῖ.

Suppl. 671, Cf. v. 822—824. v. 1049.

Μόνον Κράτος τε καὶ Δίκη σὺν τῷ τρίτῳ
Πάντων μεγίστῳ Ζηνὶ συγγένοιτό μοι.
Choeph. v. 244 sq. Cf. v. 306—309.
Εἰ δὲ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν. Sept. v. 662.

Praeterea comparari possunt Agam. vv. 159 — 183.

Nimirum eam rerum divinarum condicionem poetam Pythagorae philosopho addictum et Eleusiniis initiatum mysteriis statuere oportebat.*)

---

*) Cf. G. Dronke, die religiösen und sittlichen Vorstellungen dcs Aesch. u. Soph. Lips. 1861.

E. Platner, über die Idee der Gerechtigkeit in Aesch. u. Soph. Lips. 1858.

J. Cæsar, der Prom. des Aeschylus. Zur Revision der Frage über seine theol. Bedeutung. Marb. 1086.

De metris Aeschyleis.

Restat ut pauca addantur de numeris in Aeschyli fabulis adhibitis. In his igitur et eligendis et constituendis diligentem et severum se praestitit. Ubique enim id egit, ut concentu metri et argumenti ea quae sentiebat verbisque exprimere volebat optime designarentur. Et quamquam Sophocles easdem fere atque Aeschylus sequitur leges metricas, tamen hic inveniendi sollertia, vigore, numerorum gravitate suo loco ascita, cui semper accedit cura valde diligens et ingenua quaedam simplicitas, aemulum videtur superare. Ita quoque ille magis quam hic declinat longas syllabas in binas breves solutas, tum binarum brevium in unam longam contractionem, denique syllabas indifferentes vel ancipites; quare et dialogi et chori versus integritatis et puritatis nomine summa laude digni sunt. Mirifice sane adiutus est hoc in studio simplici fabularum compositione, quae tribus tantum partibus, prologo, episodiis et exodo absolvitur.

De Sophocle.

Quo tempore artem suam exhibere coeperit.

Aeschyli de tragœdia merita si comprehendimus, facere non poterimus quin veteribus assentiamur, qui patrem eum tragoediae habuerunt, multo difficilius quippe iudicantes post Thespin Phrynichum Choerilum ad Aeschyleam praestantiam provehi tragoediam, quam post hunc ad eam quam Sophocles consecutus est perfectionem.*)

Illo enim tempore Sophocles se accinxit ad artem tragicam exercendam, quo Athenienses, superatis belli calamitatibus, magnis

*) Scriptor vit. Aesch.: πολλῷ χαλεπώτερον ἦν ἐπὶ Θέσπιδι, Φρυνίχῳ τε καὶ Χοιρίλῳ εἰς τοσόνδε μέγεθος τὴν τραγῳδίαν προαγαγεῖν, ἢ ἐπ' Αἰσχύλῳ ἑπόμενον εἰς τὴν Σοφοκλέους ἐλθεῖν τελειότητα.

etiam comparatis divitiis, fructus laborum et victoriarum percipiebant, moribus adhuc integris.*) Quare, cum Aeschyli tragoediae proeliorum speciem et acerbitatem prae se ferant, Sophoclis ars sapit temporis quieti et admodum prosperi maturam ac mitem humanitatem. Pacis igitur inter munera suo iure Aristophanes (Pac. v. 531) Σοφοκλέους μέλη enumerat.

Ad hanc temporum opportunitatem si indolem addimus optimae venae, ingenium come et hilare, blandissimos denique mores, non est quod miremur, talem poetam et apud omnes aequales brevi favorem et gratiam invenisse, et praestitisse ipsum quidquid tam rara dotum ubertate gigni potest.

Quae novaverit Sophocles.

De actoris munere a Sophocle recusato.

Sed tragoedia ipsa temporibus tam opportunis ad summam perfectionem efflorescente etiam scaenicus qui vocatur apparatus per Aeschylum, ut supra ostendimus, et magis etiam per Sophoclem e pristina simplicitate ad splendidissimam magnificentiam conformatus est. Longum est singula persequi.

Illud vero dum sensim et quasi reapse fit, proprias quoque secutus rationes Sophocles in tragoediis edendis multa novasse traditur a vitae scriptore.

Primum enim hic ab eo more, quo poetae tragoedias suas edentes ipsi histrionum munere fungi primariasque partes suscipere solebant, recessit ob vocis infirmitatem. Etenim validis ac robustis lateribus opus erat, praesertim cum quattuor deinceps fabulae agerentur. Itaque statim, postquam ei permissum est, ut tetralogiam (vel trilogiam) doceret, ab archonte videtur impetrasse, ut histrio publice datus in ipsius locum succederet. Neque dubium est, quin Aeschylus deinde ceterique poetae scaenici hoc exemplo usi sint. In eis tantum fabulis, quae histrionem postularent non tam magna ac sonora voce praeditum, quam corpore agilem et

*) Primam fabulam (Triptolemum) docuit Ol. LXXVII, 4, annos natus duodetriginta.

musicae artis peritum, in scaenam prodibat; neque quidem per totam tetralogiam, sed tantum in singulis quibusdam tragoediis actoris partibus functus est. Sic Thamyrin citharoedum cum egisse et Nausicaam pila ludentem legimus apud Athenaeum (I, 20 E); miratique sunt spectatores in eo musicae artis et gymnasticae dexteritatem.*)

De tertio actore per Sophoclem instituto.

Tum Sophocles tertium quoque adhibuit actorem, qui apud Graecos τριταγωνιστής vocabatur. Cf. Suid. s. v. Σοφ., Arist. poet. 4, 16., Themist. or. XXVI, 316. Sane nonnulli tertium actorem iam ab Aeschylo adiunctum esse produnt. Cf. Themist. l. l. et vit. Aeschyli. Sed facile est hunc nodum dissolvere. Nimirum Aeschylus in eis fabulis quas senex scripsit Sophoclis exemplum amplexus tertium actorem videtur adhibuisse.**)

Auctus autem histrionum numerus ad tragoediam excolendam et perficiendam magni fuit momenti. Mores enim ingeniumque primariae personae tertio assumpto actore facilius et accuratius poterant describi. Quam egregie, ut exemplum afferam, a Sophocle, id quod aegre duabus personis absolvi potuit, cum Uluxis astutia compositus est Neoptolemus animo integer ac simplex, quam convenienter cum audaci et vehementi Antigonae mente modestia ac trepidatio Ismenae sororis! Quibus locis addi potest praestantissimus ille, quo apud funus Aiacis Teucer Agamemno et Ulyxes una collocati sunt ita, ut diversissimos prodant animi motus.

Sophoclem primum a tetralogica forma discessisse.

Deinde Sophocles tetralogiae nexu plane neglecto singulis fabulis in scaena certasse fertur. Rem narrat Suid. s. v. Σοφ.; *καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν.* ***)

*) Fusius disserit his de rebus Lessingius in vit. Soph. K.

**) Cf. C. F. Hermann, de distributione personarum inter histriones in tragg. gr. Marb. 1840.

***) Haud male Naekius pro librorum scriptura *στρατολογίαν* vel *στρατολογεῖσθαι* videtur coniecisse *τετραλογεῖσθαι.*

Sed quam magnas et paene inextricabiles difficultates is locus praebeat, ex hisce apparebit. Iam primum nihil aliud nisi hoc inde poterit extorqueri, Sophoclem instituisse ut singulis fabulis de praemio certaretur. Atqui constat ex didascaliarum reliquiis, tetralogias usque ad Sophoclis mortem a quibusdam poetis esse doctas et Sophoclem ipsum fabulas suas una cum Euripidis aliorumque tetralogiis in certamen misisse. Itaque verisimile est illum quoque, quippe qui aequis armis cogeretur certare, iustas composuisse tetralogias. Hoc etiam eo confirmatur quod inter Sophoclis fabulas satyrica dramata (veluti *Πλύντριαι*) non defuerunt,*) quae separatim edita fuisse nequeunt,**) sed tetralogiis assignanda sunt.

Opinati igitur sunt nonnulli, Sophoclem cum Aeschylo aliisve in certamen descendentem rem ita instituisse, ut quattuor ille quidem pariter fabulas ederet, eas autem non iam nexu rerum, sed fortasse alia qualicunque necessitudine iunctas. Sed eam rationem in Aeschyli quoque nonnullis tetralogiis animadvertimus, velut in ea ad quam Persae pertinebant.

Iam magis probabilis Boeckhii videtur coniectura (Prooem. lect. hibern. 1841 p. 11): 'Conieceris, inquit, magnis quidem Dionysiis tetralogiarum certamen non esse intermissum, Lenaeis autem singulis fabulas esse actas ex instituto Sophoclis.'

Alio modo, sed parum consentaneo hanc quaestionem enodare studuerunt C. Fr. Hermannus (Antiquitt. rer. div. § 59. 23.) et ab hoc paullo tantum recedens Nitzschius (Sagenpoesie der Griechen p. 475. sqq.).

Denique Bergkius (vit. Soph. § 10.) et horum et Boeckhii opinionem impugnat iusta de causa, siquidem verum est quod contendit (not. 123), Sophoclis aetate nondum desitum esse Lenaeis certari tetralogiis.

Hic vero, ne omnino reprobetur Suidae testimonium, aliam coniecturam proponit: 'Cum ars tragica in dies maiora caperet

---

*) Welckerus in Tragodum. I, 12 sqq. vestigia octodecim fere satyricarum repperisse sibi videtur.

**) Hoc tamen Bernhardy in litter. Graec. statuit: 'die nun sich nicht mehr an eine tragische Trilogie anschlossen, sondern gesondert standen und als Zwischenspiel nach Art eines Römischen Exodium in den Winkel der tragischen Bühne flüchteten.'

incrementa studiumque fabularum spectandarum magis magisque augeretur, Sophocles auctor fuisse videtur, ut minoribus festis Liberalibus agrestibus, ubi tretralogiis vel propter temporis angustias vel propter angustiores opes nullus fuit locus, singulares ederentur tragoediae, ita ut etiam iudices de singulis suffragia ferrent.'

Sed haec hactenus, quoniam res ad liquidum plane deduci vix poterit.

De choris Sophocleis.

Tragoediarum vero singillatim compositarum Sophocles maxime curavit compagem internam. Quod praecipue in chori cantibus cernitur, quos non solum in arctum coegit, sed etiam mira cum concinnitate ad ipsam fabulam aptissime applicavit.

Quod quamquam omnibus fere in his cantibus conspicitur, unum tantum exemplum, sed luculentum ut opinor, eligo. In Antigona fabula, postquam Creon Antigonam interfici iussit, chorus ita: *Δεδογμέν', ὡς ἔοικε, τήνδε κατθανεῖν.* Tum Creon: *Καὶ σοί γε κἀμοί.* — — Deinde chorus veteres Labdacidarum calamitates (*ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων πήματα*) enumerat, quae novis semper cladibus et postremo Antigonae fatali leto excipiantur.

Qua in concinna chori ad actionem applicatione Sophocles Aeschylum multoque magis Euripidem longe superat, haud aliter chorica sua carmina figens ac praecipit Aristoteles (poet. 18): *καὶ τὸν χορὸν δὲ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὅλου καὶ συναγωνίζεσθαι, μὴ ὥσπερ Εὐριπίδης, ἀλλ' ὥσπερ Σοφοκλῆς.* Numquam igitur chorus apud Sophoclem, ut Horatius ait,

quid medios intercinit actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte,

quo vitio Euripidis tragoediae interim notari possunt, nec particeps est actionis, qualis apud Aeschylum fere apparet.*)

---

*) Sophocles etiam, ut Suidas testatur, integrum de choro librum edidit, quo quae vel ipse novaverat vel antecessor eius Aeschylus contra Thespidis et Choerili arbitria tueretur.

De Sophoclearum personarum ingenio et moribus.

Neque in chori solum partibus, sed ubique quid in arte sua deceat diligentissime sequebatur.

Ita personas primarias moribus tam feliciter temperatis adornavit, ut nec ad perfectionem supra naturam humanam excedentem virtutemque omnibus numeris absolutam compositi appareant, nec ad infirmitatem humilitatemque mediocrium hominum descendant communisque vitae referant speciem. Vitia igitur, quibus Aeschylus et Euripides in morum descriptione indulserunt caute declinavit.

Iam in eligendis personis candido usus est iudicio. Ita, dum Aeschylus in Eumenidibus Atheniensium iustitiam ac clementiam Paladis sub persona effingit, hic ad patriam celebrandam Theseum in scaenam producit, semperque Aeschylus adhibere maluit deos, Sophocles homines. Quam rationem quantopere mente tenuerit et ut normam regulamque sibi proposuerit, ex his Aristotelis verbis (Poet. 26) perspicitur: *οἷον καὶ Σοφοκλῆς ἔφη, αὐτὸν μὲν, οἵους δεῖ, ποιεῖν, Εὐριπίδην δὲ, οἷοί εἰσιν.*

De quo loco egregie disputat Eduardus Müller (Gesch. d. Theorie d. Kunst bei den Alten I, p. 17): 'Damit wollte aber Sophocles gewiss nicht den Ruhm sich zueignen, der keiner gewesen wäre, dass er nichts als Musterbilder menschlicher Vollkommenheit aufstelle; — wie wenig sind dies auch die Charaktere in den Sophocleischen Tragoedien! — wohl aber, dass es im Ganzen Bilder der edleren erhabenen Menschheit seien, die er entwerfe, wie sich diess für den Tragoediendichter zieme, während Euripides die Menschen in all ihrer Gemeinheit und Schlechtigkeit, das Niedrige und Kleinliche des alltäglichen Lebens uns vor Augen stelle.'

Atque vel propterea primariae in tragoedia personae hominum naturam debent referre, quod ita demum idoneae fiunt ad misericordiam commovendam et metum;*) quodque tragicus qui dicitur exitus effici non potest, nisi in culpam vel errorem incidentes fato fiunt obnoxiae.

---

*) Cf. Arist, Poet. 26.

Eum autem in modum Sophocles omnes personas solet effingere, ut, quaecunque eae faciunt et dicunt, ex ingenio moribusque fere emaneant.

Quod facile elucebit, si obiter tantum fabulae Antigonae personas perlustraverimus. In ea Antigona ipsa usque ad mortem audaciam excelsumque animum retinet. Ita praeclari facinoris sibi conscia statim fratrem se humasse confitetur (v. 443):

Καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.

Quod cur fecerit, deinde ipsa declarat (v. 450):

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε κτέ.

Decent profecto tales voces virginem praenobilissimam, filiam regis, sororem fraterni amoris plenam et erga deos cum maxime piam.

Haemonis vero imago in eadem fabula tam vividis picta est coloribus, ut sint qui hanc ob causam, scilicet ob prudentiam civilem hic declaratam, Sophoclem belli ducem factum esse suspicentur.

Pari arte in Oedipode rege Creon et Tiresias repraesentantur eo potissimum loco, quo ab regis accusationibus atque opprobriis se defendunt.

Summum denique artificem in eo cognoscimus, quod personas paucis quasi lineis ita describit, ut iam ingenium et mores plane percipiamus. Quod potissimum in Aiace animadvertimus, 'quem ad Homeri exempli similitudinem conformatum a nullo maiore arte et naturae veritate magis conveniente describi vel apertius nobis ante oculos poni posse, vix quisquam est, qui infitietur.' *)

Quam artem vitae scriptor, homo omnino satis prudens, ita laudat: *οἶδε δὲ καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα, ὥστ' ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου ἢ λέξεως μιᾶς ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον.*

De fati et deorum in Sophocleis fabulis notione.

Etiam hoc Sophocli laudi vertendum est, quod in eius fabulis fato omnia obnoxia quidem sunt, sed ita ut id mitius ac clementius potentiam suam exerceat.

*) Cf. Hemmerling, Sophocles quo iure Homeri imitator dicatur. Col. 1869 (progr.) p. 12 sq., ubi de illa laude plura leguntur.

Tum tenerrimam pietatem et reverentiam, qua in vita privata deos colebat et ob quam eum invicem ab illis valde dilectum et honoratum fuisse vitae scriptor tradidit, etiam in tragoediis declaravit.

Ubique summam numinum venerationem, institutorum observationem divinorum curamque legum divinitus sancitarum popularibus commendabat.

Ei enim rationi, qua philosophi religionem omnem ad aetatis suae studia ita conformaverant, ut deos contemnere ac deridere impune existimaretur, minime potuit assentiri. Deos credidit omnes res humanas moderari; nostras vires infirmas esse deisque minime pares; his igitur insolentiam et superbiam odio poenaque persequentibus religiosissime obtemperandum esse. Cf. Ai. 118—133. Ant. 453—460.

Sed licet a religione antiquitus constituta nullo modo recesserit nec pro ea, ut Euripides fecit, subtilem sapientiam suae aetatis philosophorum sit amplexus, deos tamen ut poeta interim ad usum suum ita adornavit, ut a laudata illa verecundia aliquid videatur remittere. Ita initio fabulae Aiacis Minervam, nostro quidem iudicio, omni paene maiestate exutam et tantum non iniberaliter se gerentem inducit. Quam libertatem exemplo Homeri Aeschyli aliorum, ut de comicis omnino taceam, sibi sumpsit, salva ceteroquin reverentia. Nec ceterorum poetarum solum exemplo hac in re nisus est, sed etiam Eleusinia, qua et ipse imbutus videtur, doctrina. *)

Quam studiosus fuerit patriae.

Ut deos Sophocles et in vita et in versibus sanctissime veneratus est, ita patriam quoque summa cum pietate semper coluit. Eam matrem ac genitricem habebat libertatis, humanitatis, **) fortidudinis omniumque virtutum. Et hac quoque in re conspicimus mirum illum artis eius cum ipsa vita concentum. Quidquid enim gignebat eius ingenium totamque plane vitam ad patriae

*) Lübker, die soph. Theologie und Ethik. Kil. 1851—55.

**) Cf. Preller, de Cerere p. 294.

laudem referre eique quasi dedicare videbatur. Quo quidem ex amore etiam causam putamus repetendam esse, quod poeta quamvis a multis tyrannis invitatus patriam nunquam reliquit sua ipsius secutus verba (fragm. inc. 711):

Ὅστις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται
Κείνου 'στι δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Sed nihilominus id mihi minime poterit persuaderi, Sophoclem tragoedias suas ad reipublicae tempora ita fere accommodasse, ut Philoctetae sub persona Alcibiadem perstrinxerit, vel ut praeclaris sententiis et sermonibus civium mores conformandos civilemque prudentiam docendam sibi proposuerit. Talia enim Schoellius*) aliique ingeniosius quam verius scrutari videntur. Imo id potissimum Sophocles videtur spectasse, ut et civium utilitati quam optime consuleret, et artem suam absolutae ac perfectae pulchritudinis speciei quam proxime admoveret.

Verum quid mirum, si occasione data in eo multus erat, ut patriam et eius praeclara instituta egregia inspergeret laude. Quo referendi sunt tales loci qualis est ille (Ant. 737):

Πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρὸς ἔσθ' ἑνός.

Inde quoque sententia nostra incrementum veritatis capit, quod Sophocles Theseum, Athenarum conditorem, praedicat ut virum aequissimum et sapientissimum, Creontem in Antigona fabula se praebentem facit iniustum saevumque tyrannum.

De Sophoclis dicendi genere.

De stilo Sophoclis iam veteres rectissime iudicaverunt, inter dithyrambicam nimisque grandem Aeschyli audaciam et rhetoricam Euripidis loquacitatem medium quendam locum ei assignantes. Ita Dionysius Halicarnassensis (de verb. comp. c. 23): *πᾶς γὰρ αὐτῷ τόπος, οὗ τις ἂν ἅψηται, ταῖς τ' αὐστηραῖς καὶ ταῖς γλαφυραῖς ἁρμονίαις διαπεποίκιλται.* Idem enim brevi ante Aeschylo austerum dicendi genus, Euripidi vel soli ex tragicis floridum vindicavit. Quod multo etiam disertius exprimit Dio Chrysostomus (or. LII p. 632) a comparatione Aiacis Sophoclei cum singulis Aeschyli

---

*) Schoellius in 'Sophocles Leben und Wirken' (Frcf. 1841) et aliis locis.

et Euripidis tragoediis in eodem argumento versantibus occasionem nanctus: ὅ τε Σοφοκλῆς μέσος ἀμφοῖν ἔοικεν εἶναι, οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ τὸ ἁπλοῦν τὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου, σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν τραγικώτατα καὶ εὐεπέστατα ἔχουσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος, ἐνδείκνυσθαι.

Quamquam enim Sophocles Aeschyli pressit vestigia, tamen eius magniloquentiam sublimitatemque lenivit et ab eius grandidate prudenter aliquid remisit.

Namque Sophocles suae artis leges magis quam ille callebat nec facile ultra terminos evagabatur. Itaque Aeschylo, quippe qui divino quodam furore conreptus artis regulas magis e divinatione quam e cognitione et scientia observaret, obicere solebat, eum, etiam si quid recte faceret in tragoediis componendis, inscium id facere.*)

Hinc illa Sophocleae orationis perspicuitas, hinc insignis imaginum et colorum cum argumentis congruentia, genus dicendi satis copiosum, sed minime garrulum et loquax. Imo concinna brevitate suo loco solet gaudere.

Quod facillime cognoscitur in stichomythiis illis, quibus per longos versuum tractus oratio singulis, saepe etiam dimidiis**) binarum personarum versibus procedit. Qua respondendi brevitate quam vividus efficiatur color quamque aptus ad exprimendam animorum commotionem, ex hoc apparebit exemplo (Ai. 591 sq.):

Τεκ. Εὔφημα φώνει.
Αἰ. τοῖς ἀκούουσιν λέγε.

Hic quidem versus et tres eum excipientes sunt dimidiati; veras autem stichomythias exempli gratia has affero: Antig. 41 sqq. 508 sqq. 548 sqq. 730 sqq. Oed. R. 356 sqq. 557 sqq. 622 sqq. 1007 sqq. 1144 sqq.

---

*) Athen. X, 428 F. Cf. I, 22 A et Plutarch. ap. Stob. XVIII, 33.

**) De his versibus dimidiatis, quos Graeci Hesychio teste ἀντιλαβάς vocabant, cf. Meineke in Ztschr. f. Alterthumswissenschaft 1850 p. 499 sqq. Ceterum Sophocles illi studio ab Aeschylo alieno magis magisque videtur indulsisse, ita ut posteriores fabulae multa versuum inter binas personas distributorum exempla contineant, Antigona omnino nullum.

Ea diverbii ratio Atheniensibus utpote valde amantibus argute dicta et magis quam aliae sunt gentes vegetis haud dubitari potest quin admodum placuerit. Quid, quod data opera talia interdum videtur captasse, velut in extrema Aiacis parte (1120 sqq. 1316 sqq. 1346 sqq.)?

Omnino Bergkio assentior neminem facile desideraturum esse censenti hanc partem, si deesset. Sed Atheniensibus, litium et iudiciorum studiosissimis, novum quasi argumentum fabulae additum, quod in causa dirimenda versatur, minori erat offensioni. Quare equidem eam partem Sophocli non abiudicandam esse censeo.

Ad illas laudes accedit quod Sophocli prosperrime contigit, ut orationem severam ac gravem lenitate ita temperaret, ut aequabilis prodiret venustas. Qua virtute cum Homero comparandus et nemini tragicum postponendus videtur. Nitor in hac re Dionysii testimonio Homero et Sophocli *κοινὴν ἁρμονίαν* tribuentis.

Ob dulcem autem sermonem veteres Atticae apis nomen in eum contulerunt.*) Quod praecipue ad chorica carmina videtur referendum. Nam illa prorsus imbuta sunt suavitate et venustate. Recordemur e. g. chori in Oedipode Coloneo (v. 668 sqq.) ita incipientis:

Εὐίππου, ξένε, τᾶσδε χώρας κτἑ.

Quid potest inveniri dulcius, quid praeclarius quam hoc egregium artis poeticae monumentum? Quid aptius, quaeso, dici potest ad naturae amoenitatem describendam, ad deos celebrandos, denique ad patriam laudibus efferendam? Hic omnes suas virtutes in unum locum poeta videtur contulisse, artem, sermonis dulcedinem, pium erga deos animum patriaeque amorem.

Aliud suavitatis genus, sed vix inferius ostendunt versus iambici (Ai. 485—524) quibus Tecmessa tenerrimo cum amoris affectu et more plane Homerico — ut Hectorem Andromacha — Aiacem alloquitur.

---

*) Vid. schol. Arist. Vesp. 462, schol. Soph. Ai. 1199, vit. Soph.: *μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει, καθ' ὃ καὶ μέλιττα ἐλέγετο*, quo loco apis cognomen latiore notione accipitur. Cf. praeterea schol. Oed. Col. 17.

De metrorum elegantia.

Tales loci non orationis modo sed etiam rhythmi modorumque elegantia praeclari sunt. Namque trimetrum, diverbii tamquam organum, Sophocles Aeschyli severitatem temperans longarum solutionibns syllabarum modice plerumque adhibitis, ad summam adduxit perfectionem. Lyrica vero carmina tragoediis inserta glyconeorum ct aliorum metrorum similium usu prorsus interdum mellita sunt. Musicam denique artem Lampro usus magistro egregie callebat, ita ut harmoniarum (velut mixolydiae frequenter ascitae) concentu insignis illa venustas mirifice adiuvaretur.

Cf. Klander, de choro Sophocleo. Kil. 1840.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 056 153 3


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 056 153 3